

893. *Communicantes* et *Hanc igitur* propria dicuntur in omnibus Missis, etiam votivis, durante festi Octava, etiamsi Missa votiva propriam habeat Praefationem.

894. *Ite Missa est* dicitur in Missis votivis quoties in ipsis dicitur *Gloria*, secus autem *Benedicamus Domino*, respective *Requiescant in pace*. Et in fine dicitur semper Evangelium S. Ioannis.

895. Missa votiva, quando deest causa sufficiens et Ordinarii indictio, non potest cantari ad arbitrium Celebrantis, nisi dies votivam privatam admittat, et tunc cantatur sine *Gloria*, *Credo* etc. more votivae privatae.

896. Missis votivis solemnibus aequiparatur Missa sollemnis, quae cantatur aut dicitur in festo suppresso et translato in Dominicam sequentem; item Missa sollemnis de Titulo vel Dedicatione Ecclesiae seu Oratorii publici, celebranda in Ecclesia seu Oratorio, quamvis eius Officium recitatum non fuerit; denique Missa sollemnis de aliquo festo, cuius Officium fit alio die, celebranda propter populi extraordinarium concursum, ad lucrandas Indulgentias, etc. Sed in omnibus his casibus unicum Missam de hoc festo celebrare licet in colore festi, sub ritu dupl. I cl., cum Commemoratione Officii diei, Dominicae, et aliorum occurrentium, quae in duplicibus I cl. commemorari possunt, et cum ultimo Evangelio Dominicae<sup>1</sup>, aut Feriae, aut Vigiliae si occurrat. Omnes aliae Missae privatae, nisi dies permittat Missas votivas, sint conformes Officio diei absque Commemoratione illius festi seu Missae festivae.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 8 April. 1808, ad 8: 22 Iulii 1848: et 12 Aug. 1854, ad 5 et 7.

§ II. — De Missis votivis privatis in Missali Romano assignatis in specie.

897. Quae in Missis votivis privatis, in Missali Romano assignatis, servanda sint, sequenti tabula indicantur, et subsequentibus numeris speciatim (quantum opus est) explicantur.

MISSA VOTIVA	COLOR	MISSA	GLORIA	ORATIONES	CREDO	PRAEFAT.	IN FINE
SS. Trinitat.	Albus	Prop.	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	Propr.	Benedic. Domino
Spir. sancti	Rubeus	Prop.	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	Propr.	Benedic. Domino
SS. Sacram.	Albus	Prop.	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	De Nativ.	Benedic. Domino
Passionis	Viol.	Prop.	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	De Cruce	Benedic. Domino
SS. Crucis	Rubeus	Prop.	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	De Cruce	Benedic. Domino
De SSmo. Cor. Iesu	Albus	Egredi- mini	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	Nativ. vel de Cruce	Benedic. Domino
B. M. V.	Albus	Prop.	Om. nisi in Sab.	2 diei curr. 3 de Spir. san.	Omitt.	Propr.	Bened. - In Sab. Ite Missa est
De Immac. Concept. in Sabbato	Albus (c)	Prop. ut in festo	Dicitur	2 diei curr. 3 de Spir. san.	Omitt.	Propr.	Ite Missa est
Angelor.	Albus	Prop.	Dicitur	2 et 3 diei current.	Omitt.	Comm. (b)	Ite Missa est
Apostolor.	Rubeus	Prop.	Omitt.	2 diei cur. 3 de B. M. V. (a)	Omitt.	De Apost.	Benedic. Domino
Sanctorum	ut in eorum festo	Prop. vel de Com.	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	Propr. vel Comm.	Benedic. Domino
Pro Sponsis	Albus	Prop.	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	Comm.	Benedic. Domino
Pro quacunque Necess.	Viol.	Prop.	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	Comm. (b)	Benedic. Domino
Pro Infirm.	Viol.	Prop.	Omitt.	2 et 3 diei current.	Omitt.	Comm. (b)	Benedic. Domino
Pro Defunc.	Niger	Una ex Prim. vel Quotid.	Omitt.	unic. vel plur. ut in Missal.	Omitt.	Comm.	Requiescant in pace

(a) 3 Or. *Concede nos famulos*, si in Missa diei dicitur or. *A cunctis*. — (b) Vel de Oct. vel de Temp. — (c) De Imm. Concept. 2 or. de Offic. occurr., 3 de Spiritu s. quae tamen omitt. si in Offic. occurrat aliq. Comm. simplic. aut festi.  
N. B. In fine dicitur semper Evang. S. Ioannis *In principio*.



898. De aliis Mysteriis praeter in tabula praecedenti indicata et in Missali assignata inter Missas votivas, non licet Missam votivam dicere, v. gr. de Nativitate Domini, Epiphania, Paschate, Pentecoste, etc. Qui ergo in honorem horum Mysteriorum, scilicet Nativitatis, etc. celebrare desiderat, habeat hanc intentionem, sed Missam dicat de SS<sup>m</sup>a Trinitate.

899. Idem dicendum de Mysteriis Passionis. Ergo, qui Quinque Vulnera, Spineam Coronam, Clavos, Lanceam, etc. venerari intendit, Missam dicat de Passione aut de Cruce.

900. Missa de SS<sup>m</sup>o Corde Iesu propria *Egredimini*, ut in festo, Feria VI post Octavam Corporis Christi: color albus, sine *Gloria* et *Credo*, Orationes 2 et 3 diei currentis; Praefatio de Nativitate Domini a Dominica Trinitatis usque ad Dominicam Septuagesimae, a Septuagesima vero usque ad Pentecosten Praefatio de Cruce.

901. Ubi Feria VI, quae prima unoquoque in mense occurrit, peculiaria exercitia pietatis in honorem divini Cordis, approbante loci Ordinario, mane peraguntur, SS. D. N. Leo XIII decreto 28 Junii 1889 indulget, ut hisce exercitiis addi valeat Missa votiva de SS. Corde Iesu, dummodo in illam diem non incidat aliquod festum Domini, aut duplex I cl., vel Feria, Vigilia, Octava ex privilegiatis. Celebratur ritu, quo celebrantur Missae votivae solemnes, id est cum *Gloria* et *Credo* ac unica Oratione.

902. Missa Votiva B. M. V. propria (una ex quinque in Missali, iuxta diversitatem temporis): color albus, *Gloria* dicitur solummodo in Sabbato, *Credo* omittitur, secunda Oratio diei, tertia de Spiritu sancto, Prae-

fatio de B. M. V. *Et te in veneratione beatae Mariae* per totum annum, etiam infra Octavas, etc.; in fine Missae *Benedicamus Domino*, in Sabbato vero *Ite Missa est*.

903. Non potest dici Missa votiva de aliquo festo B. M. V., v. gr. de Annuntiatione, Purificatione, etc.; sed, si quis SS. Deiparam sub hoc titulo honorare vult, Missam dicat, ut sub num. praecedenti. Potest tamen dici ut Missa votiva, servatis servandis seu mutatis mutandis, Missa septem Dolorum B. M. V. cum Oratione propria *Interveniat pro nobis*, proprio Graduali, omisso Tractu per annum, omissa quoque Sequentia, in Praefatione, *Et te in transfusione*.

904. Missa votiva de Immaculata Conceptione in Sabbato propria de festo *Gaudens gaudebo*: color albus, dicuntur *Gloria* et *Ite Missa est*, *Credo* omittitur; secunda Oratio diei, tertia de Spiritu sancto, Praefatio *Et te in conceptione immaculata B. M. V.* In Secreta pro solemnitate dicitur *commemoratione*. Sabbato infra Octavas festorum B. M. V., pro Missa votiva dicitur Missa de festo, cum *Gloria*, sine *Credo*<sup>1</sup>, et Orationes ut supra. Si dicenda sit Missa votiva B. M. V. die, quo de eadem agatur Officium ratione festi vel Octavae, Missa dicitur de festo tamquam non votiva, nempe cum Commemorationibus occurrentibus, *Gloria*, *Credo* et Evangelio in fine, prout Missa exigit. — In Vigiliis autem festorum B. M. V. Missam propriam habentibus, loco Missae votivae dicitur Missa Vigiliae, in colore violaceo, sine *Gloria*, *Credo*, Oratio secunda de festo currenti, tertia,

<sup>1</sup> S. Rit. C. 2 Decemb. 1684.



si alia Commemoratio non sit facienda, erit de Spiritu sancto, Praefatio de communi.

**905.** Missa votiva SS. Apostolorum extra tempus paschale, erit *Mihi autem*, ut in festo SS. Apostolorum Simonis et Iudae (28 Octob.): cum Evangelio *Dixit Petrus ad Iesum: Ecce nos* etc. e Communi Abbat., color rubeus, sine *Gloria* et *Credo*; in Oratione omittuntur nomina Simonis et Iudae, et nomen Apostoli, de quo votiva, adiungitur, secunda diei, tertia de B. M. V. *Concede nos famulos tuos*, si in Missa diei dicitur *A cunctis*. Post Septuagesimam dicitur Tractus *Qui seminant*, ut in Missa votiva de SS. Apostolis Petro et Paulo. Praefatio de Apostolis; in fine *Benedicamus Domino*.

**906.** Tempore vero paschali, Introitus *Protexisti* e Communi unius Martyris tempore paschali; post Epistolam: *Alleluia ... Confitebuntur*, sed loco ultimi  $\Psi$ . dicitur sequens: *Ego vos elegeri de mundo, ut eatis et fructum afferatis et fructus vester maneat. Alleluia*. Offertorium *Constitues* ex Missa SS. Apostolorum Petri et Pauli (29 Iunii); Communio Ps. 18: *In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum. Alleluia, Alleluia*. Reliqua ut sub num. praecedenti.

**907.** Missa votiva de SS. Apostolis Petro et Paulo propria: color rubeus, sine *Gloria* et *Credo*; reliqua ut num. 905. Tempore paschali dicitur Missa *Protexisti*, praeter Orationes, Epistolam et Evangelium, quae dicuntur ut in Missa votiva per annum.

**908.** Pro Missa votiva in honorem S. Petri aut S. Pauli, sumitur illa quae est utrique Apostolo communis, cum intentione colendi eum, in cuius honorem Missa celebratur. Sed dici posset pro S. Petro Missa ut in

die 29 Iunii, cum Orationibus ipsius ex Missa in Commemoratione S. Pauli et secundo loco Oratio S. Pauli ex eadem Missa; et pro S. Paulo, Missa ut in eadem die Commemorationis 30 Iunii, prouti ibi invenitur.

**909.** Missa votiva de Sanctis dici potest de omnibus et solis Sanctis, non vero de Beatis. Dicitur Missa propria si festum propriam habeat, alias de Communi, mutatis mutandis iuxta diversitatem temporis.

**910.** Si ergo tempore paschali contingit, ut celebretur Missa votiva alicuius Sancti, cuius festum extra tempus paschale celebratur, Missa, si propriam habet, tempori paschali debet esse conformis, adiungendo *Alleluia*, ubi adiungenda sunt ratione temporis, alias tota aut partes non propriae sumuntur e Communi tempore paschali. Si vero Missa votiva celebranda venit Sanctorum, quorum festa tempore paschali aguntur, omittantur in ea quae propria sunt tempori paschali, et quae desunt sumuntur e Communi extra tempus paschale.

**911.** Missa votiva pro Sponsis. Si benedictio Nuptiarum facienda sit die Dominica vel alio die festo, vel diebus quibus agitur Officium duplex I aut II cl., nec non diebus infra Octavas privilegiatas Epiphaniae et Pentecostes, cum istius Vigilia, die Octava Corporis Christi, aliisque diebus duplicia II classis excludentibus: dicatur Missa de Dominica vel festo, cum *Gloria* et *Credo*, si illa Missa id requirit, et cum Commemoratione Missae votivae de Sponso et Sponsa, et reliquis quae pro Communionem et complemento benedictionis in ea habentur<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Rubr. Missalis, in Missa de Sponsis.



912. Si autem benedictio Nuptiarum facienda sit aliis diebus, etiamsi in his occurrat festum duplex maius vel minus, dicatur Missa votiva ut in Missali, in colore albo, sine *Gloria* et *Credo*, cum secunda et tertia Oratione diei currentis, Praefatione communi, et in fine Missae *Benedicamus Domino* et Evangelio S. Ioannis *In principio* etc. <sup>1</sup>.

913. In diebus num. 911 recensitis, quibus Missa pro Sponsis prohibetur, in Missa de die, post Commemorationes a Rubricis praescriptas, et ante Collectas ab Episcopo imperatas, si quae sint, fit Commemoratio pro Sponsis sub sua distincta conclusione, et nunquam sub unica de die, etiam in festis I classis.

914. Dicto *Pater noster*, Sacerdos antequam dicat *Libera nos quaesumus, Domine*, genuflectit et stans in cornu Epistolae versus Sponsum et Sponsam ante Altare genuflexos, dicit super eos Orationes *Propitiare Domine* etc., *Deus, qui potestate virtutis tuae*, ut in Missali. Postea reversus in medium Altaris, dicit *Libera nos* et reliqua more solito; et postquam sumpserit SS. Sanguinem, communicat, si hoc desiderant, Sponsos, et Missam prosequitur. Communio Sponsorum non est de praecepto <sup>2</sup>.

915. Dicto respective *Benedicamus Domino*, vel *Ite Missa est*, Celebrans antequam populo benedicat, ad Sponsos conversus dicit *Deus Abraham, Deus Isaac* etc.; dein brevem sermonem circumstantiarum faciat, Sponsos aqua benedicta aspergat nihil dicens, et dicto *Placeat*

<sup>1</sup> Rubr. Missalis, in Missa de Sponsis.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 21 Martii 1874.

*tibi sancta Trinitas*, det benedictionem et legat Evangelium S. Ioannis *In principio* etc.

916. Tempore quo celebratio matrimonii prohibetur, i. e. a Dominica prima Adventus usque ad festum Epiphaniae, et a Feria IV Cinerum usque ad Dominicam in Albis inclusive, etiamsi ex venia Ordinarii celebretur matrimonium, et si mulier foret vidua <sup>1</sup>, non licet Missam votivam celebrare pro Sponsis, neque pro eis additur Commemoratio in Missa de die, neque pro ipsis dicuntur preces post *Pater noster* etc., neque tempore vetito elapso resumuntur <sup>2</sup>.

917. Missa votiva a caecutiente Sacerdote celebranda Sacerdos caecutiens Missam votivam B. M. V. quotidie (excepto Triduo Mortis Christi) celebrare potest, si obtinuerit Apostolicum Indultum, in colore albo, sine *Gloria* (extra Sabbatum) et *Credo*; etiam diebus solemnioribus. Missa propria, una ex quinque votivis pro diversitate temporis, etiam in festis B. M. V. <sup>3</sup>; secunda Oratio de Spiritu sancto, tertia *Ecclesiae*. Non tenetur addere Orationem ab Ordinario imperatam <sup>4</sup>.

918. Potest tamen etiam, diebus non vetitis, dicere Missam de Requie.

919. Si Indultum obtinuerit Sacerdos celebrandi Missam de SS. Cruce diebus solemnibus, quibus Ecclesia, ubi Sacrum faciat, utitur colore rubro, adiungere debet

<sup>1</sup> S. Rit. C. 3 Martii 1761, in Aquen., n. 4.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 13 Aug. 1839, in una Montis Pessulan.: 7 Sept. 1850, in Veronen., ad 3; et 14 Aug. 1858, in una Montis Albani, ad 3.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 11 Septemb. 1847, in Angelopol.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 28 April. 1866, in Nolana, ad 5.



secundam Orationem de B. M. V., tertiam *Ecclesiae* vel pro Papa <sup>1</sup>.

920. Die Nativitatis Domini unam solummodo Missam celebrare potest, et non tres <sup>2</sup>.

921. Sacerdos plane caecus aut ab omni celebratione Missae absteat, aut non sine speciali Indulto Apostolico et absque assistentia alterius Sacerdotis celebret, ad quod tenetur sub gravi tametsi obligatio haec expressim non fuerit Indulto apposita <sup>3</sup>. (Vid. n. 418).

922. Sunt et multae aliae Missae votivae, quae particularia seu specialia non habent, praeter ea, quae in Missali ipso indicantur suis locis.

#### CAPUT IV.

##### DE MISSA PRIVATA IN ALIENA ECCLESIA ET IN ORATORIO PRIVATO.

###### § I. — *De Missa privata in aliena Ecclesia.*

923. Iuxta regulam generalem, Missa cum Officio diei concordare debet; ideo Sacerdos celebrans in aliena Ecclesia vel Oratorio publico, Missam dicere debet Officio ab ipso recitato correspondentem, dummodo cum colore Ecclesiae, ubi celebrat, aptetur <sup>4</sup>.

924. Qui celebrat in aliena Ecclesia Missam sui Officii, eam, si propria est et in Missali invenitur, dicat;

<sup>1</sup> S. Rit. C. 28 April. 1866, in Nolana, ad 5.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 11 April. 1840, in Balneoregien., ad 4.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 12 April. 1823, in Panormit., ad 11.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 17 Septemb. 1853, in Calatayeron.

si non est propria aut in Missali non invenitur, illam sumat de respectivo Comuni, excepta Oratione, si praesto sit, nec non Evangelio, quod semper respondere debet Evangelio Officii.

925. Si Celebrans Missam dicit iuxta Calendarium alienae Ecclesiae, quia proprio uti non potest, quoad *Gloria*, *Credo*, etc. huic Calendario se accommodare debet; si vero Sacrum facit iuxta proprium Officium, et in propria Ecclesia dicendum esset *Credo*, potest illud dicere aut omittere, nisi foret dicendum in propria Ecclesia tantum ratione Reliquiae insignis, vel ex speciali privilegio, quia tunc debet illud omittere <sup>1</sup>.

926. Regulares festis principalibus Ordinum suorum, et maxime festo Fundatoris seu Patriarchae, speciali gaudent privilegio addendi Missae Symbolum, quando celebrant in aliena Ecclesia <sup>2</sup>.

927. A regula generali, num. 923 citata, variae dantur exceptiones, et sunt sequentes:

928. Sacerdos, qui diebus festis supplet vicem Parochi et dicit Missam parochialem, celebrare debet iuxta Calendarium Ecclesiae alienae <sup>3</sup>. Item, qui in aliena Ecclesia celebrat Missam de die aut de Requie cum cantu <sup>4</sup>.

929. Quando in aliena Ecclesia celebratur festum cum solemnitate et concursu populi, Sacerdos, etiamsi in suo Officio habeat ritum duplicem I cl., sese in celebratione huic Ecclesiae accommodare debet <sup>5</sup>.

<sup>1</sup> S. Rit. C. 11 April. 1840.

<sup>2</sup> S. Rit. C. 18 Decemb. 1779, ad 7, in una Ord. Min. S. Franc.

<sup>3</sup> S. Rit. C. 23 Maii 1846, in una Iuden.

<sup>4</sup> S. Rit. C. 15 Dec. 1691; 29 Ian. 1752, ad 11; et 23 Maii 1840, ad 5.

<sup>5</sup> S. Rit. C. 29 Ian. 1752.